tim longius progrediantur, ipsasque demonstrationes prompto animo capiant, quas antea, tanquam nimis difficiles, atque etiam insuaves, repudiabant. Accedit, quod hæc discendi ratio plurimum quoque serviat eorum desideriis, qui aut ingenio tardiores, aut otio carentes demonstrationum subtilitatem non satis penetrare possunt; amore tamen Geometriæ ducuntur. Habent enim illi, quod magno temporis ac laboris compendio addiscant; idque eo modo, ut opus non sit, rerum perceptarum certitudinem à docentis autotitate petere (quod planè noxium in scientiis est) sed ut possint eandem ab ipsa experientia deducere. Hoc cùm animo reputaret Vir summus D. Joachimus Jungius, Gymnasii Hamburgensis nunc temporis Rector dignissimus, jam à multis annis eam curam suscepit, ut empiricam illam discendi viam quam planissimam efficeret, sublatis iis impedimentis, quæ studiosam juventutem hîc detinent. Inventis igitur multis, & quidem ingeniosis modis, quibus propositiones Geometricæ, figuris variè sectis per ἐφαρμογὴν ita inter se aptantur, ut vera esse omnia quæ dicuntur, vel pueris pateat; libellum inde confecit, eumque Ro-